

ORATIONES

DICENDÆ AB EPISCOPO CUM IN PONTIFICALIBUS CELEBRAT

Indulgentia centum dierum pro singulis orationibus. Pius Pp. XII, 14 ianuarii 1940. (Concordat cum MR 1962.)

Ad caligas:

Cálcea, Dómine, pedes meos in præparationem evangélii pacis, et prótege me in velaménto alárum tuárum.

Cum exiitur cappa:

Exue me, Dómine, véterem hóminem cum móribus et áctibus suis: et índue me novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in iustítia, et sanctitáte veritátis.

Cum lavat manus:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam immúndam; ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre.

Ad amictum:

Impóne, Dómine, gáleam salútis in cápite meo, ad expugnándas omnes diabólicas fraudes, inimicórum ómnium versútias superándo.

Ad albam:

Deálba me, Dómine, et a delícto meo munda me: ut cum his, qui stolas suas dealbavérunt in Sanguine Agni, gáudiis pérfruar sempitérnis.

Ad cingulum:

Præcínge me, Dómine, cingulo fídei et virtúte castitátis lumbos meos, et extíngue in eis humórem libídinis; ut iúgiter máneat in me vigor totíus castitátis.

Cum accipit crucem pectoralem:

Muníre dignéris me, Dómine Iesu Christe, ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium, signo sanctíssimæ Crucis tuæ: ac concédere dignéris mihi indígno servo tuo, ut, sicut hanc crucem, Sanctórum tuórum relíquiis refértam, ante pectus meum téneo, sic semper mente retíneam et memóriam passiónis, et sanctórum victórias Mártyrum.

Ad stolam:

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævari-

catióne primi paréntis: et, quamvis indignus accédere præsumo ad tuum sacrum mysterium cum hoc ornamento, præsta, ut in eódem in perpétuum mérear lætári.

Ad tunicellam:

Túnica iucunditátis et induménto lætítiæ induat me Dóminus.

Ad dalmaticam:

Indue me, Dómine, induménto salútis et vestiménto lætítiæ; et dalmática iustítiæ circúmnda me semper.

Ad chirothecas:

Circúmnda, Dómine, manus meas mundítia novi hóminis, qui de cælo descéndit: ut, quemádmódum Iacob diléctus tuus pellículis hædórum opértis mánibus, patérnam benedictiónem, oblato patri cibo potúque gratíssimo, impetrávit; sic et, oblata per manus nostras salutári hóstia, grátia tuæ benedictiónem mérear. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum, qui in similitúdinem carnis peccáti pro nobis óbtulit semetípsum.

Ad planetam:

Dómine, qui dixísti: Iugum meum suáve est, et onus meum leve: præsta, ut illud portáre sic váleam, quod possim cónsequi tuam grátiam.

Ad mitram:

Mitram, Dómine, et salútis gáleam impóne cápiti meo; ut contra antíqui hostis omniúmque inimicórum meórum insídias inoffénsus evádam.

Ad anulum:

Cordis et córporis mei, Dómine, dígitos virtúte decóra, et septifórmis Spíritus sanctificatióne circúmnda.

Ad manipulum:

Mérear, precor, Dómine, manípulum portáre mente flébili; ut cum exsultatióne portióne accípiam cum iustis.